



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VIII. a Gregorius IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

gressum refert Vghellius tom. 3. Italia sacra, fol. 272. Habet Ecclesiam Cathedralē à primis Ecclesiæ saculis à sancto Romulo constructam eius primo Episcopo.

c *Lite non contestat.* ) Contra dicta supra in cap. 1. ut lite non contest.

d *Banniverat.* ) Id est exulaverat, nam bannus accipitur pro exilio, ut probavi in cap. 2. supra, de purgat. canonic. & in presenti notavit Cironius.

e *Mille libris.* ) Injuria enim gravis aestimatur cum fori Ecclesiastici præscriptio contemnitur,

cap. non placuit 16. questione 7. ibi : Non placuit laicum statuendi in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui obsequenti manet necessitas, non auctoritas imperandi. Et quemadmodum curialibus injuria irrogata non ipsos dumtaxat tangit, sed ad Regiæ dignitatis offensam spectat, ut loquitur Fredericus lib. 3. constit. Sicul. tit. 33. cap. 1. Ita & offensa clericorum ad Christum pertinet, ut exprimitur lib. 6. Capitul. cap. 98. ideoque eo casu penam anathematis statuit Synodus Constantinopolitana relata in cap. accusatio 2. quest. 7.

## CAPUT VIII.

a Gregorius IX.

**I**n nostra, & fratrum nostrorum presentia proposuistis, quod cives Brixien. protestationibus damnorum illatorum adinvicem, quæ propter multas civiles discordias incurrerant, plurimum aggravati, statutum editum de non petendo, vel recipiendo in posterum restorationes huiusmodi à Communi generaliter approbarent, & firmarunt etiã juramento. *Et infra:* Cũ igitur aliud sit damnorum restauratio, quam satisfactio expensarum; & ideo juramento exhibito super damnorum articulo, intelligi non debeat, quod factum expensarum fuerit comprehensum: mandamus quatenus juramento non obstante prædicto) auctoritate nostra provideas, quod dictum Commune pro bono concordie ad expensarum satisfactionem aliquid contribuat, juxta tuæ discretionis arbitrium à te, sicut expedierit, moderandum.

## NOTÆ

a **G**regorius IX. ) Non exprimitur cui Prælato Pontifex referbat; credi tamen potest referbere Episcopo Brixienfi; de qua diocesi egi in cap. tua de procurat. Decernit autem Gregorius in presenti, post sedatas dissensiones civiles inter cives Brixienfes, & milites eiusdem civitatis, ut referunt Hostiensis, & Innocentius in presenti, populum Brixiensem posse repetere expensas, et si juramento promiserit damna illata occasione hu-

jusmodi dissensionum non repetiturum; & magna cum ratione, nam cum juramentum non extendatur ad ea, de quibus actum, vel cogitatum non fuit, cap. Quintavallis, de jurejur. & in propria, & stricta interpretatione appellatione damnorum non veniunt expensæ, l. 3. ff. de damno infecto; ideo et si populus Brixientis juramentum promississet se non repetiturum damna occasione discordiarum accepta, rectè tamen potest expensas repetere.

## CAPUT IX.

a Idem.

**S**i culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem sorte tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent; & quam debueras, non curasti diligentiam adhibere. Sanè licet qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: fecus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit.

NOTE